



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Metropolis Salisbvr gensis

Continens. Fvndationes Et Erectiones Monasteriorvm, Et Ecclesiarum  
Collegiatarum, &c. per Boiariam, ac loca quædam vicina

**Hund, Wiguleus**

**Monachii, 1620**

De quinta minutione & candel. pro festo Corporis Christi, & candel. S.  
Albani.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13591**

præbendæ debeat cedere annuatim. In cuius rei memoriam præsentis damus litteras, sigillorum Domine *Petrissæ* relicte, nobilis viri Domini *Hartlibi* dicti quondam de *Puechperch* piæ memoriæ, nec non Domini *Eberhardi* plebani de *Viechtah* munimine roboratas. Datum in *Osterhouen* anno Domini M. CCC. tricesimo primo, in die sancti *Nicolai* Pontificis gloriosi.

De quinta minutione & candel. pro festo *Corporis Christi*,  
& candel. *S. Albani*.

**N**E rerum pio deuotionis affectu gestarum labatur memoria, inuenta sunt à prosperitatibus remedia scripturarum, quæ consueuerunt fragilitatem humani generis æternare. Hinc est quod nos *Hermannus* diuina miseratione Abbas Ecclesiæ in *Osterhouen*, attendentes deuota & beneuolæ, nostri Conuentus in diuino cultu seruitia prouentus nostræ exterioris Parochiæ & oblationum, quæ in pios vsus redigi dignè debent, supernæ remunerationis intuitu, imò cõpassione naturæ inducti & hortati, pro commoditate communi, non priuata, sub conditionibus infra scriptis de communi consensu nostri prælibati Conuentus præuia matura deliberatione duximus nostræ infirmariæ perpetualiter annectendos. Videlicet vt ex prænotatis prouentibus siue oblationibus annis singulis in quinta minutione quæ hætenus haberi apud nos non consueuit circa festum beati *Iohannis Baptiste* consuetudini ordinis conformem, quam etiam ipse Infirmarius, qui pro tempore erit, secundum formam aliarum minutionum sufficienter ministrabit. Præterea vinum sacrificale quod custodes nostri Monasterij retroactis temporibus procurauerunt de communi nostro Cellari volumus recipi, hac condicionalitate subiecta, vt omnibus diebus ad eleuationem Corporis & Sanguinis Domini in publica Missa, duæ solemnes candelæ accendantur: & à festo *Pasche* inclusiue vsque ad festum beati *Michaelis*, in honorem beati *Albani*, contra malignitatem æreærum tempestatum, vna candela ardens, ad missam choralem per Custodè procuretur, quæ etiam post finem missæ antè *Corpus Christi* infra ambitum ad benedictionem frugum per ministrum deportetur. Cæterum ob reuerentiam Sacramenti Sacramentorum, in festo votiuo Corporis in processione quinque candelæ solemnes, ante & post Corpus Dominicum accendantur, quæ etiam pro publicæ missæ solemnia indeficienter rutilantes perseuerent. Vt ergo hæc nostræ actionis moralitas cunctis futuris temporibus inconuulsa & illibata permaneat, nos hanc chartam conscribi fecimus, & sigillorum, videl: Domini Reuerendi *Alberti* Præpositi Ecclesiæ *Vrspergen*. nostri Patris Abbatis, & annui visitatoris, nec non sui conuicatoris Domini *Chunr.* honorabilis Præpositi Monasterij *Schefelarn*, impressione muniri impetrauimus, & suæ auctoritatis plenitudine confirmari, ne aliquis nostrorum successorum eadem infringere, minuere, vel perturbare, aut alienare præsumat quoquo modo. Insuper ad maiorem euidentiã præsentis venerabilium Dominorum, scil. Domini *Gotschal. Wimbergen.* & Domini *Heinr. S. Saluat.* Ecclesiarum Prælatis, nec non nostri & nostri supratacti Conuentus sigillis procurauimus robore consignari. Datum & actum anno Dñi. M. CCC. XXXVIII. in festo Natiuitatis B. *Iohannis Baptiste*.

De vinea *Chremsleiten* à *Leubserinna*.

**N**Os frater *Otto* dictus Abbas *Zvueslen* Monast. totusque Conuentus ibidem: tenore præsentium profiteamur tam præsentibus quam futuris, quod honesta & Deo deuota vidua Domina *Gerdrudis* cognomine *Leubserinna* residens in-

ciuitate